

14.
15
PACIS ODOR,
nimirum,
Insignis & verè Christiana
Serenisf. & Potentisf.
Principis ac Domini,

D N.
F R I D E R I C I
D E I G R A T I A R E G I S B O -
h e m i æ & C o m i t i s P a l a t i n i a d R h e n u m ,
Ducis Bavarix, Silesix & Luceburgi, Marchionis
Moravix ac Lusatix, &c. S. Rom. Impe-
rii Electoris & Vicarii,

Pietas, in susceptâ nuper ab illo Regni Co-
ronâ & Curâ elucens:

*Una cum Votivo applausu &
Gratulatione letabundâ,*

Quando VRATISLAVIAM Silesior.

A. MDCXX. M. Febr. d. 23.

ad acceptandum Homagium,

Maximâ cum pompâ & festivitate
ingrediebatur;

Humilimæ subjectionis ac debitisf.
affectionis contestandæ ergò

Carmine breviter adumbrata, celebrata
& decantata

â TOBIA LIBALDO Sil Ph. & Med. D.

•••)•••

Esaie 52. v. 7.

Nahum. 1. v. 15.

Roman. 10. v. 15.


Ecce quàm iucundi in montibus pedes annuntiantium pacem.

Siehe wie Lieblich sind auff den Bergen die Füsse derer / die den Frieden verkündigen.

Psalmo 2.

Erudimini igitur Reges terræ &c.

So laßet euch nun weisen ihr Könige / vnd laßet euch richten ihr Richter auff Erden; Dienet dem HERRN mit Furcht / vnd freuet euch mit zittern. Küßet den Sohn, etc.



80041/14 G6t



AD REGIAM MAJEST. &C.



Os valet, Heroum per publica compita dignas,

Cum benè de Patriâ meruere, expandere laudes

Carmine, & ad magnos bona multa precarier ausus:

Quidni etiam justum mentis TIBI præstet honorem,
REX FRIDERICE, Palatinæ Dux maxime Gentis,
Ipsa licet tenuis mea Musa humilisq;, sed ipsa
Tota tamen devota TIBI, ô Dignissime Rerum.
Namq; pium, & nullis non æquum est pangere factum
Seclis hocce Tuum, in tanto quòd Nostra tumultu
Cura TIBI est ad vota Piorum fervida. Namq;

Pressa diu variis Ecclesia nostra periclis
Per Furias Itali sævas Antistitis, &, qui
Partim hujus retinent mala dogmata, mente profani;
Ipsa scelus litesq; cavens, at Pacis amatrix
Et pietatis agens, sancti studiosaq; Veri,
Slesiadum atq; Boëmorum Moravûmq; per oras;
Ultima MATHIAM terris ubi fata tulerunt,
Officium hoc & vota pio TIBI pectore fecit,
Talia mente movendo, ac talia voce sonando:

Oades, ô FRIDERICE Heros. qui Pacis ab usu
Divite nomen habes: vel solum hoc fecerit omen,
Quòd Pacem nostras sis allaturus in oras.
Magnis, quid? quòd AVIS magnâ Virtute coruscis
Ortus es & pietate, quibus studium utile dudum

Sancta;

Sancta; cura fuit purgandæ Relligionis.
Horum Tu Juvenis vestigia tramite recto es
Ingressus: Sic perge Bone ô! Qvin, TE fore magnum,
Oris honos, Mentisq; acies, Heroicus ardor
Pectoris, atq; alia in TE collucentia signa
Spondent, certa Bonis illectamenta favoris.
Hinc etiam Magni jam REGIS factus in orbe
Christiadum GENER es, populosos Lege Britannos
Qvi domat, atq; Scotos, postremiq; Orbis Hybernos.
Hinc, qveis cunq; amor est populis Pietasq; Fidesq;
Purior & Virtus, TE suspiciuntq; coluntq;:
Nec Tua PRINCIPIBUS non grata est Gratia magnis
Imperii, qvotqvot Germanus continet orbis,
Et qvi vicinis REGES dominantur in oris.

*a Versus i-
ste ut innu-
merabili-
um homi-
num priorū
votum ex-
primit, ita
ipse quoq;
est infinitis
fere modis
variabilis,
cujusmodi
Versus Pro-
teos Pecti-
cos appel-
lant, qualis
etiam est
qui sequi-
tur, tertius
ab illo.*

Ergo veni ô, nostram placidusq; assume Coronam.
Quid? qvôd & ipsa videns Procerum conformia vota,
Qvi Regno REGEM TE conscripsere potentem,
Ne renue, ô Spes magna Rei, Spes ampla; clamat,
Qvæ nostrum affligit Regnum, ô Spes maxima sortis!
At post deinde Tuam cognovit ubi anxia mentem,
Atq; iter ingressus jam Boêmica rura subintrat,
Et nunc exoptatus ades; plaudencia ovando &
Crebris ingeminans per juba vocibus orat:
Jô Pie Dux, cape jam ceu Vir, bona quod TIBI Gens
Boêmorum, Moravûm, Slesorum & Lusatiorum: (dat
Jô cape nunc Pie Dux, quod dat TIBI Gens bona Mu-
sic igitur sanctum Officium, sacramq; Tiaram (nus-
Ac Sceptrum magno applausu Regnumq; capessis,
Nil odia, insultusq; minasq; & magna Tyrannûm
Concilia & cata consilia, & mala fulmina Papæ
Subveritus, CHRISTI solûm & Pietatis amore:
Et nunc Slesiacas etiam Pie visis ad oras,

Mutua

Mutua firmentur Votis uti vincla fidesq;,
Nostraq; cognoscat placidum TE Patria REGEM.
Io factum benè. Laus Summo sit magna JEHOVÆ,
Et TIBI, qvôd Nostram miseratus pectore sortem es:
Certè grata Piiis Tua sit præsentia cunctis.
Salve igitur Rex Magne: iterum Rex inclyte salve:
Salve Slesiacæ ter-Maximus Advena terræ.
Jô Pie Rex, jam dat TIBI sese Gens quoq; Nostrum: *b Hi quoq;
Sit modò nunc, ceu spes, Nobis Tua comoda virtus: duo Versus
Et TIBI sit faustum & felix pia volvere Sceptra
Regni hujus, Gentiq; bono imperitarily ausu
Slesiadum, & qvorum capta est TIBI cura, aliorum.
TE Bone, qvi Cœlum & Terram, & Maria anxia circum
Et tribus his contenta manu omnia cunctipotente
Condidit, ac justo arbitrio, qvàm lata, gubernat;
TE regat, Aligerosq; suos victricibus ulnis
Auxilio TIBI mittat ab alto SUMMUS Olympo,
Hactenus ut fecit toto, quantum usus es, ævo:
Longa TIBI vitæ spacia & decernat, & illam,
Quam geris, extendat sanam cum corpore sano
Mentem animi, puræ qvâ Relligionis honorem
Asseris, in qvirens studio (ah laudabile!) sancto,
Qvæ sit Divino propior sententia Verbo:
Sed nec es infensus reliquis, qvi lumine nondum
Dio illustrati nequeunt discernere verum;
Aut præfracti animo, quamvis meliora videntes
(Sive Lutheranos se Catholicosve vocantes)
Non illa accipiunt, sed Papæ dogmata laudant,
Sicq; Antichristi certissima stigmata gestant:
Hos sed judicio permittis Judicis æqvo,
Qvi solus cordis novit penitralia, & inde,
Quid perverso animo, vel simplicitate patretur.*

» Rectè

» Rectè agis: haud hominum est discernere talia: sed
» Ulcisci errores in Religione vagantes, (nec
» Mens ubi seu studium sanctum Pietasq; probata est.
Ipsa etenim Pietas, modò sit fiducia iuncta
In CHRISTUM, vitæ accepit promissa futura:
» Nec quid Religio, quamvis purissima, confert,
» Cum vitæ ratio CHRISTI est contraria Verbo.
Attamen anniti decet, ut, quod credimus, omne
Præscripto, ceu Vita, tuo pie CHRISTE probetur.
Scilicet hoc studium est cunctorum illustre Piorum;
Non vexare alios, nec condemnare severo
Supplicio: non hercule, non sic itur ad Astra
Et Cælum: At mala vita quidem Impietasq; rigore
Est plectenda gravi (sed fit rarò hocce) Regentum.

Ast Tu, cui meliora DEUS præcordia finxit,
Præcipuas odisse malum TIBI muneris esse
Censebis parteis, gravibusq; advertere pœnis.
Hinc REX Magnus eris, spe non frustrante, Tuq;
Auspicio Pietas nostro plantabitur Orbe:
Nec solum Pietas; sed Pax quoq;, Religioq;,
Et quod Christiadas juxta hæc ornatq; decetq;.

Floret ubi pietas, ibi cætera sponte sequuntur:

Nec mage jam fraudes, luxusve, aut cæca libido,
Nummorumve sitis, non stulta superbia, non vox
Blasphema aut perjura, nec atri jurgia Codri,
Nec quodcunq; scelus Virtuti imponit habenas.

Macte igitur Pietate Tuâ, O REX, macte Tuâq;
Virtute & meritis! lapsis succurrere rebus
Qui tentas, pacemq; Bonis reparare sublatam:
Pacem, quâ melius vix est cognoscere quicquam:
Pacem, quâ Pietas, Virtusq; & sancta vigescit
Religio, & licitum est, si qui sint, plectere fontes.

Rex

15
Rex pie, non sat erunt Tibi dignas promere laudes
Secula, quotquot erunt, quæ secula nostra sequuntur
Assertum temerata ob Religionis honorem,
Illius atq; arcto promissam fœdere pacem.

Dive RODOLPHE, tuis ubi nunc res consona pactis?
Ter sanctam fecere fidem, quæis credita Regni
Sceptra hujus, paucos intra quos vidimus annos:
Ter jurasse fidem, nostris nil profuit oris.

Heu dolor! heu magnum hoc est & memorabile fa-

Surgite Germanus Sangvis, Pietasq; fidesq; (tum!
Quæis placet, & Pax Christiadam, REGESq; DUCESq;
Surgite: non, Vos, causâ bona est, quæ tangat & angat!

» Non fas est tenuisse fidem, quam quisq; peritus

» Verbi CHRISTE tui, veram esse agnoscit, & optat!

Non, alacres quondam dederunt cui Regna Poloni,

» Sic STEPHANUS sensit Sapiens: non quippe probavit

» Cogere, uti credat quis, quàm mens conscia fradet.

En! licitum est genti recutitæ è stirpe Jehudæ

(O scelus!) in mediis CHRISTUM contemnere terris
Christiadam, & diris hunc devovisse tremendis!

Surgite Germanus Sangvis, Pietasq; fidesq;

Quæis placet & Pax Christiadam, REGESq; DUCESq;:

Surgite, & o justæ justî succurrite causæ:

Cumq; Novo Nostros defendite REGE penates:

Cumq; Novo REGE Imperii defendite Pacem.

Et facietis enim, si mens in pectore Vobis

Æqua; nec innocuos tot CHRISTI sanguine lotos

Vivifico, extingvi ferro & crudelibus armis

Horum, qui Solio CHRISTUM moliuntur ab alto

Trudere, gens externa, effrenas amensq; finetis.

Non Vos officio hoc rixosa turba cathedræ,

Lingvaq; mendaci Nos damnans improba fraude,

Abstra-


Abstrahet; heus mox Vos quoque; si fors vincimur ipsi,
Cernitis objectos iisdem (res conscia) fatis.

Ergo pium fortemque; animum Rex inclyte serva.
Quippe haud solus eris, qui Nos discrimine tanto
Solvere, & amisam pacem reparare laboret.
Quin, si nulla Tuis REGUM consortia coeptis
Adveniant, (quâquâ modo praestitit Hungarusingens
Officium) DEUS est, qui Te servetque, juvetque;
Dum bona, dum justa est, quæ tandem caussa triumphat.

OS (*) SE

VIVAT IO FELIX REX; VIVAT, ET IMPERET ÆQVIS
LEGIBUS, AC REFERAT DEVICTO EX HOSTE TRO-
PHEUM:

ET SUA SIT SUMMO GLORIA SUMMA DEO;
ET SUA SIT REGI GLORIA LAUSQUE; PIO,
TOTIUS ET POPULI VOX PIA DICAT, AMEN.
AMEN.



LIGNICI Typis Sartorianis.

OS) O (SE

57025

5

O R A T I O
A D
S E R E N I S S I M U M
A C P O T E N T I S -
S I M U M P R I N -
C I P E M
F R I D E R I C U M
R E G E M B O -
H E M I Æ.

Auctore

MARTINO OPITIO
S I L E S I O.



Typis GOTTHARDI
VOEGELINI.